



SECTIO PRIMA De Cometis.

§. I.

Cometæ a comis ita nuncupati sunt stellæ crinitæ per aliquod tempus adparentes, postea rursus disparentes.

§. II.

Quamvis vero Cometas non nunquam adparere sit certum ; nihilosecius circa illorum naturam haut modica Philosophos inter exardescit controversia. Quapropter vanij in varias abeunt opiniones.

§. III.

Aristoteles (a) & cum eo Peripatetici omnes habent persuasum, Cometas siccas esse exhalationes e terra ascendentibus, in sublimi concretas, ac deniq; accensas. Enim vero inquiunt, si sulphureæ exhalationes ex terræ visceribus in aera sursum ferantur, ibiq; concrescant, atque accendantur, Cometæ fiunt conspicui. Idcirco deducunt, ad unum omnes infra Lunam versari.

§. IV.

At ne succenseant nobis Peripatetici, si eos suo cum duce

(a) Lib. primo Meteor. c. 6. f. 165. editionis Basileensis.